



Universitätsbibliothek Paderborn

Homiliæ Qvadragesimales Reverendissimi D.ni P. F. Hieronymi Baptistæ De Lanvza Venerabilis memoriæ Episcopi Barbastrensis & Albarrazini, Ord. FF. Prædicatorum

Ex Hispanico idiomate in latinum perfectè fideliterq[ue] iuxta posteriorem omnium, nouamq[ue] editionem translatae, & ab innumeris cùm S. Scripturæ, tùm SS. Patrum typographicis erroribus emendatæ ... cum triplici Indice ...

Lanuza, Jerónimo Bautista de

Antverpiæ, 1649

§. 16. Tantum est cæli gaudium vt melius dicatur, quod homo intret in illud, quam ipsum in hominem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53012](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53012)

Iustus, neque dolor erit ultra. Sine morte vita, sine merore gaudium sine infirmitate salus, sine dolore voluptas, sine periculo securitas: totum gaudium purum, meta voluptas, defœcata læticia. Ibi (inquit D. August.) ex quo sumpsit D. Gregor. gaudium infirmum, læticia sine tristitia, salus sine dolore, via sine labore, lux sine tenebris, vita sine morte, omne bonum sine omni malo, ubi iuuentus numquam senescit, ubi vita terminum nescit, ubi decor numquam pallescit, ubi amor numquam tepescit, ubi sanitas numquam marcescit, ubi gaudium numquam decrescit, ubi dolor numquam sentitur, ubi gemitus numquam audisur, ubi crux nihil videtur, ubi læticia semper habetur, ubi malum nullum timetur, quoniam ibi summum bonum possidetur. Stupescit referens; sunt autem illa verba, quæ adiungit, postquam huius miseræ vitæ descriptis calamitates, illam æternæ opponens.

psisset. Postmodum idem vidit D. Iohannes, quando ei cœlestis illa Hierosolim monstrabatur: *Et Apoc. cap. 22. 1. ostendit mihi fluvium aquæ vitæ, splendidum tanquam crystallum, procedentem à sede Dei & Agni. O quæ puræ aquæ, quàm splendide, quàm itâmpatentes, ut nec ipsum purissimum crystallum tam pellucidum censeatur. Et quas credis illas esse aquas, quæ procedunt ac scaturiunt velut à fontis origine: A sede Dei & Agni! Altissimum hic suspicio mysterium: nimirum, quod gaudij æternæ beatitudinis aquæ, ac gloria procedens, ex fructione duorum, Dei scilicet in sua essentia & substantia, ac Christi agni Dei in quantum homo est. Ita censet Theologorum Raphael D. Thom. 2. 2 q. 2. 5. obiectum principale beatitudinis seu totius gloriæ cœlestis, sunt mysteria Dei, & Christi auctoritate & excellentiæ divinitatis Dei, & prerogatiæ ac eminentiæ Christi Domini humanitatis. Proinde procedet hæc primario ex visione Dei, & Christi, secundum id quod ipse Christus dixit: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Ioan. 17. 3. Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.**

Secundò utitur Christus hæc forma desumpta metaphora ab eo qui mare ingreditur, cuiusq; Similitudinis immergitur: totus enim mari cooperitur, tunc, sic ut nihil sit eius quod mari non absorbeat; hoc modò erit gaudium in cœlo, ut totus illo immergatur ac absorbeatur sic ut nihil sit quod illo non absorbeat, intellectus visione Dei, voluntas amore divino, anima gloria integerrima, totius deniq; Deus tibi sit inmisceratus, unde in anima dignitas oriatur tam diuina, ut Deus esse videatur. Corpus autem ex omni parte erit gaudio delibutum, doribus claritatis, subtilitatis, agilitatis & impassibilitatis, sensus obiectis replebuntur quæ omnem excedat intellectum, oculus visione Christi, cuius tam ingens ac ineffabilis est pulchritudo, ut eius vnica manus quæ videntem exhibuit D. Theresiæ, tanto mentem eius gaudio delinuerit ut si Deus cor eius non suâ gratiâ non roborasset, nimio gaudio seipsû fuisset. Visione quoque purissimæ ac virginis immaculatæ Mariæ, cuius pulchritudinem nedum sol, luna, ac sidera mirantur, sed ipsi sup̄emi omnium Seraphini. Quod si viuens adhuc in mundo caduca hæc & mortali vita; eius tam elegans fuerit forma venustatis, ut D. Dionysius in illam sententiam declinaret, dum eam vidit, quod nisi eum fides aliud doceret, firmiter teneret, nullum dari posse bonum excellentius aut beatitudinem feliciorẽ, quàm eius frui conspectu. Quid censendum, quando in cœlis iam regina regnat gloriose? hæc etenim sola

D. Aug. 1. solil. 2. 33. in fine exposition. septem Psal. 90. nient. Tom. 9.

Mat. 25. 21.

Manu. 4. c. lib. ultim.

Exa. 7. 47.

§. 16. *Tantum est cali gaudium ut melius dicatur, quod homo intret in illud, quam ipsum in hominem.*

I Deitè dicit Christus se dicentem seruo fidei: *Intra in gaudium Domini tui.* Mirare modum loquendi. Quis in quod intrat: voluptas, seu gaudium in animam, vel anima in gaudium? Nostro hoc modò intelligimus, quod gaudium intret in cor, & non è conuerso. Sic est (annuit D. Aug.) Ille portò fiet oppositum, primò eo quod nostrum hic gaudium tam sit modicum, ut capi possit in re tam exigua, ut est cor humanum, sed nec illud vnquam totum adimplet. Tantum verò illi erit gaudium, tanta voluptas, ut nullum sit cor, anima nulla, quæ possit illud concludere, ac comprehendere, quocirca dicitur, quod cor intrabit in gaudium. Poculi aquam de facili corpore tuo comprehendis, nec fatigaris, ac magni fluminis, vel Oceani, quis hæc dicat posse, corpore tuo comprehendere, quin potius totum illa subergetur, nec erit possibile illam in te intrare, bene quidem te in illam. Exiguæ sunt mundi huius voluptates, breues, leues haustus quos b. hinos, & subito euanciscit quod atulerunt: refrigerium & deliciae quas ex illis haurimus. In illo cœlesti mote gaudium est instar maris immensi, fluij rapidissimi, qualem vidit Ezechiel de templo profluentem, tanto quarum abundantia, ut illas non esset qui uaderet, sed certo submersiois periculo exponeretur periturus, qui illas pertransire præsumeret. Hieron. Bapt. de la Nuza. Tom. 1.



oro virg decursu: Et bene quidē: cum nascatur homo filius Adæ, nascitur & subditus ac tributarius omnibus miseris, imo & ipsi morti vestigialis. Ita quoque ipse protestatur Salomon: dum suam in hunc mundum intrantis cœpit miseriam deplorare: *Primam vocem similem omnibus emisit plorans &c.* Nemo enim ex Regibus aliud habuit natiuitatis initium. Attamen beatæ vitæ illius ingrediens palatium, nascetur homo filius Dei, per gratiam perfectam ac consummatam, in statu gloriæ, diuina ac cœlesti natiuitate, quam in festis Sanctorum celebrat Ecclesia, dum eorum defunctiois diem, diem vocat Natalitiorum: *Natalitia celebramus.*

In illa vero vita, omnis soluetur seruitus, cessabunt que vestigalia, nihil erit soluendum, *Creatura liberabitur, ac illud implebitur, ait D. Aug. quod Christus Apollolis dixit, vt peterent: Vt gaudium vestrum sit plenum.* Magnum habent pondus, verba illa, *Gaudium plenum*, id est, quod in nullo deficit, nec sit per quod possit intrare vel perire, vel vlla calamitas. *Vbi* (dicit D. Aug.) *est sempiterna vita, sempiterna beata, vbi est amor perfectus, & timor nullus, vbi est Deus æternus, & vnus omnium spiritus, vbi est summa & certa securitas, & secura tranquillitas, & tranquilla iucunditas, & iucunda felicitas, felix æternitas, æterna beatitudo, & beata sine fine visio &c.* (Et iterum)

Vbi gaudium sine morore, dignitas sine tremore, opes sine amissione, sanitas sine languore, abundantia sine defectu, vita sine morte, perpetuitas sine corruptione, beatitudo sine calamitate. Nec adferre poterit dolo, em timor tale perire bonum, quasi finiri possit: etenim erit perpetuum: *Delectationes in dextera tua vsque in finem.*

Hoc significare voluit Deus, quando locum illum ostendit Vati suo Ez. chiel in veteri testamento, & dilecto suo discipulo Ioanni in nouo, cur citatam ostendit pulcherrimam, splendidissimam, diuissimam, abundantissimam, vt vtrique exponit, & ait: *Erat ciuitas in quadro.* Figura quadrata symbolum est securitatis ac perpetuitatis: quia lapis quadrus, quacumque eum parte sumis, vel ponis, cadit secus ac firmus. Hoc erit huius beatæ ciuitatis privilegium: vt quicumque illam fuerit ingressus, inde nunquam sic exurus: *Qui vice it faciam eum colummam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius.* Idemque dixerat Abraham Patriarcha diuiti epuloni: *Qui vult hinc transire ad vos non possunt neque inde huc transire.* De hoc quoque eam Deus laudauit per Iliam: *Respice Sion ciuitate in solemnitate nostra.* Attende quo-

eam nomine compeller, ciuitatem solemnitatis Dei. Et quæ ista? *Oculi tui videbunt ciuitatem opulentam, tabernaculum quod nequaquam transferri poterit, quia ibi solummodo magnificus est Dominus.* Verba sunt hæc talia, vt vnumquodque eorum materiam ministrat mille concionibus. O Christi adæ, oculos attollite, & videte cum filio prodigo istam diuini Patris vestri domum attendite: quot miriades, qui eius fuerunt mercenarii, *Abundant panibus.* Vos vero fame percauitis: *Ego autem hic fame percauitis.* Quid agitis finistro sidere nati: ob voluptatis quodpiam spectaculum, tauros, torneamenta, luctas, vt sol vos adurat, ventus molester: & tandem quid nisi aer, qui flatu vincto euanescit. Quid molimini, vt vel paruo tempore genio indulgeatis? vt eius conuersatione lætemini, quæ vobis aridet, vt alterius conspiciatis venustatem, quæ cito aere dispergitur? Quid fame tabescitis, voluptatum deliciarumque amatores? Quid agitis, vt prospera valeatis salute qua licet hodie lætemini, cras perditam lugebitis? Quæ sollicitudo vt vitam seruetis incolumem: & quid est nisi ventus? Oculos sursum erigite, intuemini quod possitis obtinere, &c.

Lu. 11. 17

S. 17. Dissoluetur vinculum, de quo Prophetia, *grauitatis carnis, quæ quatuor digitibus præsulgebit, quæ numerat Apostolus.*

Hic non finiuntur aut concluduntur huius bona conuiuii, sed & aliud a Propheta proponitur summi gaudii obiectum. Et quod illud? *Præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati.* Hoc verbum *Præcipitabit* declarat D. Hieron. significare, *absorbebit, & in Hebræo reperitur idem verbum, Præcipitabit vinculum, vinculum: quod more Hebræo signat plura & fortia, vincula, q. d. Deus hic præcipitabit, comminet ac confringet multa & grauius vincula, quibus constringimur.* Aenigmatica verba, quibus gloria corporum exponitur, qua beati in monte illo gloriæ præsulgebunt, quæ in illa ex animæ gloria redundabit. Quod in hac vita animas affligit vincula sunt, compedes, laquei, & nodi cœci, quibus illa colligatur his corporibus, infirmis, grauibus, putrescentibus. Si princeps illustrissimus, ac pauper in matrimonium sibi sumeret mulierem vilem, rudem, infirmam, plagis, sanieque defluentem, quæ continuis gemitibus acta compleat, aures eius tristibus nardo,

34

Isa. 23. 7

Similari-

scf 2 215